



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 14. De animæ facultatibus, ad tex. com 35.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

fortasse etiam ratiocinationem primo loco dixit in-
tellectum, quando est in corpore & penderet a
sensibus intelligi ratiocinando. Et ideo dixit: Qui-
bus inest ratiocinatio mortaliu. Intellectum autem
Theoreticum appellauit intellectum nostrum abso-
lute & a corpore separatum; quem in textu 21. dixit
posse solum a corpore separari. De hoc namque
alius est sermo: quia & esse potest & operari sine in-
ferioribus ceteris anima facultatibus.

TEXTVS.

Οτι ἡ ψυχή ἀπὸ τῶν κινήσεων ἕκαστου λόγου οὐκ ἐκείνου ἀλλὰ τῶν ἰδίων
ἰσχυρῶν ἐστὶν.

Quod igitur de horum unoquoque ratio haec propriissima,
et de anima manifestum.

COMMENTARIVS XXXV.

Postrema haec verba, quibus omnia concludit, S.
Thomasi intellexit de superius dictis: definitio-
nem scilicet animae antea expositam maximè pro-
priè vnicuique animae conuenire. Sed melius multo
Themistius, Philoponus, Simplicius, Auertoes, &
Albertus ad sequentem referunt tractationem de
singulis animae partibus & facultatibus seorsim.
Nam cum eas omnes ordinauerit, & quomodo in
viventibus sese habeant docuerit: praeterea etiam
dixerit, ex generali sola definitione proposita specia-
les earum rationes non satis intelligi: neque debere
nos generali illa definitione contentos esse; optime
subiungens specialem singulorum tractationem fu-
turam: hanc denum ait propriam ac specialem cu-
iusque facultatis considerationem propriissimam
futuram esse, & maximè huic tractationi de anima
accommodatam.

DIGRESSIO XIV.

De Anima facultatibus.

Hae sunt, quae de animae facultatibus vniuersè
à Philosopho tradita sunt. In quibus satis qui-
dem explicauit, tum diuersa illarum genera & ordi-
nem, tum quomodo sint in viventibus distributae.
At quomodo ea, tum inter se, tum ab anima, cuius
facultates sunt, distinguantur; non a què aperte do-
cuit. Anima coniungitur cum corpore, non solum
videt esse, sed etiam vt operationem tribuat. Vtrū-
que & vidit & praclare haecenus tradidit Philoso-
phus: dum principio illam considerans vt formam,
duplicem eius definitionem colligit; quā manifestū
est, eam immediatè & seipsa coniungi cum corpo-
re, dareque illi essentiam tribuendo seipsam, vt es-
sentialem formam. Deinde aggressus est agere de il-
lius facultatibus. At non satis intelligitur, an ipsa
quoque immediatè tribuat operationem, sitque ip-
samet facultas operans: an verò posterius hoc mu-
nus per qualitatem aliquam exequatur, què illius sit
facultas & operandi virtus: Facultatis nomine nil al-
iud significando, quàm habilitatem ad agendum
quidpiam. Hoc nobis attentius considerandum est,
& pluribus explicandū. At paulo altius exordierendū.
Agentia naturalia operantur quidè per suam sub-
stantia formam, tanquam per principium primum
ac principium: vsunt tamen qualitatibus vt instru-

A mentis, quibus ita alterant & trāsmutant materiā,
vt non eadem numero formas, siue accidentiū, siue
substantiā, communicent, quas ipsa habet: sed alias
illis similes ex materiē potestate educant; accidenta-
rias primū alteratione, deinde & substantiales, substā-
tiali ortu, tanquam vltimū suae operationis terminū,
quo acquisito cesset omnis actio & motus; vt est in
tex. 55. prioris lib. de ortu atq. interitu. Itaq. praeter
coniunctionem & cōcursum vniuersālū & particu-
larium causarum, in ipsis quoq. particularibus causis
altera coniunctio est necessaria, primarij agentis &
instrumenti. Etenim naturalia haec agentia quodam
quidem modo perfectionem diuinam imitari vidēt-
ur, dum non sunt stolidā, & sterilia; sed fecunda,
possuntq. operari, ac sibi simile procreare. At in agē-
te vnoquoq. tria omnino continentur, essentia, fa-
cultas operandi, & operatio. Essentia absolutū quid-
piam & per se consideratum significat, quod ex gra-
dibus & partibus essentialibus constat. Facultas pri-
uationem quidem quandam innouit eius, cuius fa-
cultas est. Verū vt facultas patiendi materiē praeter
actus formalis priuationem, entitas quapiam est
ad suscipiendā formam apta. Sic facultas agendi for-
mā non est sola operationis priuatio, sed absolutum
quidpiam, quod operationem eam velut actum se-
cundum promere possit. Itaq. essentia primū gra-
dibus suis & partibus constituitur; essentiam deinde
facultas sequitur operandi; ac demum ex essentia &
facultate prodit operatio. Ex quibus videntur peti-
tres ex illis modis per se, qui numerantur in textu 9.
prioris lib. de Polster. Analyti; quorum primus con-
nexionem habet graduum essentialium, secundus
connexionem virtutum seu proprietatum cum es-
sentia, quartus & vltimus operationes.

B lam si in essentia velis gradus distinguere; in im-
materialibus primū est gradus generis, & in mate-
rialibus materia tanquam patiendi & suscipiendi fa-
cultas. Illi mox aduenit differentia, huic substantiae
forma, velut essentialis actus. Inde facultas & opera-
tio, velut actus & perfectio facultatis & operantis
naturae. Quamquam alio modo facultatem conse-
quitur operatio, quā facultas essentiam. Facultas
ex essentia spōte erumpit, simplici illa emanatione;
quae conatum nullum requirit essentiae, à qua ema-
nat. Operatio opus habet conatu, tum essentiae, tum
facultatis: neque simplex emanatio, sed vera effi-
cencia productio illius nominatur. Facultas igitur
patiendi quoquo modo ante omnem operationem
consideratur, dum in vna tantum natura accipitur.
At agendi facultas inter duplicem actum est media;
inter actum primū essentiae, & actum secundum
operationis, velut aptitudo & habitus essentiae in
eum finem comparata, vt per eam essentia conue-
nientem suae naturae operationem promere possit.
Quare non est praecipua operationis causa; sed velut
praecipua ac primaria causa aptitudo.

C Quare non est praecipua operationis causa; sed velut
praecipua ac primaria causa aptitudo.

D Haec omnia in solo Deo propter essentiae infini-
tatem idem profus sunt; in ceteris omnibus neces-
se est distingui. Ac operationem quidem certum
est ab essentia differre. Facultatem autem, vt ope-
rationis principium significat, quoquo modo di-
stinguendam esse; ex conditione atque imperfec-
tione creatorum omnium agentium cognosci-
tur. Quia cum entia sint finita & limitata, quae
actu constent & potestate; absorbere nequeunt,
sibi que identificare virtutem suam & faculta-
tem agendi. Sed vt essentia certis gradibus ge-
neris & differentiae continetur; sic vt operetur, ab-

quid aliud præter essentiam addi oportet, quod agendi sit virtus. Vt neque essentia sit actus purus, neque esse operarium: sed & illa genere & differentia, per se esse & actu consistit: & hoc quasi ex pluribus agentibus, primario & instrumentario, essentia, & facultate constat. Ex his enim tribus essentia, virtute, & operatione, vnum integrum ens & vnicum absolutum agens constituitur, quod habet vnum integrum esse operarium; & ideo vnica sequitur simplex actio, quæ est à toto agente. In quo vt quoad esse virtus agendi subordinatur agenti; sic etiam quo ad operationem. Quia enim virtus illa in rebus creatis est accidens; vt accidens quoad esse est entis, ita in operatione non nisi propter illud operatur: operatio quippe essentiam sequitur.

Actio igitur tribuenda est toti agenti, sed supposito, tanquam principio quod, vt in scholis loquuntur; eius enim est operari, cuius est esse. Ex quo habuit ortum peruulgata propositio, quæ ex cap. 2. Proximij Metaph. colligitur; Actiones sunt suppositorum. Quomodo tamen in composito duplex principium substantiæ distinguitur; alterum materiale & suscipiens; alterum formale & constituens; & præterea adiunt alia principia, quibus accidentiæ constituitur. Ita etiam in operatione duplex principium substantiæ separare oportet. Alterum est materia, in qua suscipitur actio; alterum substantiæ forma, quæ agendi principium existit. Quam ob causam in textu 33. prioris libri de ortu & interitu materia dicitur esse pati & moueri, mouere autem & agere alterius virtutis. Accidentia tamen, quæ in agente continentur, non sunt otiosa; sed vt dant esse accidentarium, quod est propter esse substantiale; ita principia sunt operationis accidentaria, & propter principium substantiale, quod est forma. Quocirca nullus est accidens in composito, quod non aliquid ad agendum conferat. Nam & illa ipsa quæ ineptissima atque inertissima videntur, vt quantitas, figura, raritas, densitas, & similia; etsi verè nihil agant, sunt tamen actionis conditiones & aliquid conferunt, vt celerius, aut tardius, facilius, aut difficilius actio perficiatur: aut saltem conditiones materiæ sunt, vt actionem suscipiat.

Natura est agens simpliciter.
Quæ omnia si cum ijs conferantur, quæ in superioribus dicta sunt de operatione naturæ; mirus in omnibus apparebit consensus. Natura operationis principium dicitur; sed principium quo, & ideo principium in eo, in quo est. Vt ipsum ens naturale, quod est compositum, sit id, quod verè operatur: in eo tamen principium quo patiens est materia, & agens forma; & præterea ad sunt adhuc qualitates, vt grauitas & leuitas in elementis, tanquam illius operationis instrumenta. Et in efficientis quoque actione & passione totum compositum agit & patitur vt quod; sed duo habet substantialia principia, quorum altero suscipit, altero efficit actionem; & præterea qualitates actrices vt instrumentalia principia: non quidem patiendi; quoniam materia vt subsistens quidpiam & imperfectum aptum perfici & sustentare omnia alia, siue vllis instrumentis seipsa suscipit, vt operationem actiue naturæ, sic efficientis actionem: sed solum actionis: vt sicut qualitates motrices sunt solius formæ instrumenta vt est natura; sic alteratrices eiusdem solius sunt instrumenta, vt est efficiens. Instrumentum quippe cum sit principium actionis quoddam, comparatione actionis duntaxat nominatur.

At enim grauissima est hoc loco difficultas, cur

substantia nequeat immediatè quidquam operari, sed aliquo semper instrumento & accidentaria virtute indigeat. Rem ita se habere, constat tum Aristotelis testimonio in libro de sensu & sensibili cap. 4. cuius hæc sunt verba. Ignis non agit vt ignis, sed vt calidus: de quo Alexander Comment. 30. Tunc ignis, quo ignem per calorem calefacere, & animal per semen generare deprehendimus; neque vltimè percipimus immediatam substantiæ actionem, sed accidentium solum, vt instrumentorum. In animalibus etiam, quæ imitantur naturam, artificis idea, artificis forma nihil immediatè, sed omnia per instrumenta exequitur. In solo Deo actio est illius substantiæ, quod naturæ infinitas absorbeat omnia.

Cur autem ceteræ substantiæ immediatè non agant: in vera quidem & propria actione à Physicis, quæ est productio formæ, non est difficile animalia uertere. Quoniam hæc actio esse non potest, nisi ubi est contrarietas, quæ semper est cum explosione contrariæ formæ. Quare cum in substantia contrarietas, sed in accidentibus, non potest substantia nisi per accidentia agere. Difficilius est actionem communem omni operationi adferre. Illa verò tria videntur posse dici. Primum, actionem significare perfectionem quandam, quæ agens potest aliquid alteri tribuere, passionem autem imperfectionem, carentiam, & egestatem, qua patientia capit ab alio aliquid, quod illi deest. Cum igitur contraria substantia intrinsecè dicat imperfectionem, carentiam, & egestatem, conuenit illi esse propria natura pati, & accipere ab alio. Non conuenit autem agere, quia cum tota rei creatæ perfectio sit et multis constata, quæ propter naturæ finitatem nequeunt fieri eadem, vni agendi necesse est aliquid esse distinctum, natureque & essentiæ additum. Quæ hoc colligitur ex re ipsa in se considerata. Vt enim quoad esse non est sola substantia, sed perfectiones multas habet accidentarias sibi adatas; quod esse operarium non potest se sola continere, sed accidentarijs quibusdam principijs mutari debet.

Alterum, hanc esse naturam & conditionem substantiæ. Neque enim alia est ratio, cur accidentia plurima vni habeant operandi, nisi illorum natura. Nam etsi principes quatuor qualitates agant, quod sunt contrariæ; Qualitatum tamen motricium operatio nullam habet contrarietatem ex parte qualitatis; sed solum ratione loci, ex quo & ad quem mouent. Immo in ijs quoque, quæ contrarium habent oritur quidem ex contrarietate, vt vna qualitas mouerit aliam, quod vim habeat producendi similitudinem aliam, quæ ipsius naturam, non videtur habere contrarietatem. Quare etiam contrariam non interrim, nisi quia similem producit: etsi esset materia nuda, calor & frigus contrarietate, aut vllius interitu calorem producerent.

Tertium, substantiam vt est substantia, quod dicitur esse absolutum, & per se coherens significare & operari vt est substantia, non posse coniungi aut dare se alii; sed solum in seipsa subsistere, & suscipere potentiam ac sustentare cetera, quæ illi adiunguntur. Accidentia, quæ dicunt esse quoddam alterius, nempe substantiæ, commodius possunt esse virtutes & instrumenta, quibus vtatur substantia. Maxime quod operari accidentarium quidpiam est; & rei cuiusque essentia est potius in se, atque in gradu compositi, quam in operatione & actione. Propterea instrumentis creatis, in quibus operatio est accidens, et colorere magis videtur cum accidentario, quam cum substantiali principio, à quo immediatè proficiscitur.

In omni igitur operatione naturalium totum compositum est id, quod operatur. Id vero, ratione cuius, seu quo operatur, est illius forma substantiæ; nam ideò operatur, vt aliquid illi simile efficiat hõque tandem per qualitatum actionem assequitur. In artibus quoque artifex operatur; sed per ideam primariò, cui vult aliquid simile efficere; & per instrumentum, cuius motu assequitur finem. Hoc tamen inter est, quòd agentis naturalis instrumentum propriam habet operationem, qua primarij agentis intentionem exequitur: artium autem instrumentum nil aliud habent, quam motum, quo ab artifice impelluntur. Vt tamen in artibus eadẽ operatio, quæ est motus instrumenti, instrumentum tribuitur, artifice, & formæ artis: sic in natura eadem operatio accidentium, quæ sunt substantiæ virtus, dicitur esse totius cõpositi, quod per eam virtutem operatur; & formæ illius primariò, vt principij quo; quia est ea dicatur finis actionis, vt illi debet fieri aliquid simile; dicitur tamen etiam principium quo, vt ab agente coniungitur eum alioquo instrumento ad eam similitudinem perficiendam. Ac demum dicitur esse ipforum accidentium tanquam principij, quo vt instrumento, agens id, quod querit, assequitur. Sed artis instrumenta sunt separata, natura plerumque coniunctis vitur. Atque in artis instrumentis separatis, cum non operentur nisi ab artifice mota, due geruntur actiones. Altera est motus primi agentis, altera effectus instrumenti, vt scilicet ferræ. In instrumentis coniunctis naturæ distincto motu non est opus, sed vnica est actio instrumenti, quæ proxima est à qualitate & primariò à substantia, propter intrinsecam connectionem, qua qualitas substantiæ virtus esse dicitur. Immo in hoc instrumentorum genere non modò non requiritur primarij agentis motio, sed neque applicatio ad agendum, nisi propriam fortasse habeant partialem subsistentiam, vt manus in homine. Sed in qualitatibus absq. vlla applicatione vel motu prodit naturaliter actio, vt actus secundus à primo. Quæ tamen actio tribus præsertim rationibus pendet etiam à substantiæ forma. Tum propter inharẽtiam & coniunctionem qualitatum cum substantia, cuius virtutes sunt & instrumenta. Tum propter virtutis illius agentis proportionem eum substantiæ forma. Tum verò propter agentis intentionem, qua per eas qualitates similem sibi substantiæ formam vult producere. De instrumentis separatis, vt semine, quibus interdum natura vitur, eadem penè dicenda.

Ex quibus omnibus consequens est, qualitatum actionem non modò similis qualitatis, sed & substantiæ formæ productionem attingere. Est enim vnica agentis actio per formam & qualitatem, quæ ab vtraque simul exit: ab vna proximè, ab altera primariò. Et ideò ad alias duas illi similes terminatur, primùm ad accidentariam, deinde ad substantialem. Immo etiam ad totum compositum, quia est actio totius vt principij quod, quæ productionem attingit substantialis formæ, non separat, sed in materia. Itaque eadem actio comparatione diuersorum terminorum & alteratio dicitur, vt ad qualitatem terminatur: & substantiæ generatio, vt eiusmodi formam adducit. Sic actio caloris, & calefactio vocatur, & ignis generatio. Estque verissimum illud: Idem est, quod disponit materiam, & educit formam. Quoniam idem accidens, quod propria virtute disponit

materiam, educit quoque formam, vt est alterius agentis instrumentum. Neque est amplius, quòd miremur, si ferrum candens per solum calorem (si modò solus in eo sit calor) producat ignem, animalis semen animal, & alia id genus instrumenta præstantes adeò effectus, immò accidens ipsum substantiam. Hæc enim perficiunt vt sunt instrumenta, virtutesque agendi potioris alterius agentis. Cum quo coniunctionem habent, si non inharẽtiam, proportionis certè & intentionis ipsius. Nam etsi semen non sit inharẽndo coniunctum cum animali, proportionem tamen cum illo retinet, agitque semper iuxta intentionem, quam habuit agēs, quando illud emittit. Hinc etiam fortasse calor ab omni substantia separatus, si proportionem retineat, quam cum ea habebat, atque illius intentionem, poterit substantiam producere, quia semper virtute substantiæ ager. Cum primùm autem illis destitueret, quia non amplius ager vt instrumentum substantiæ, sed virtute propria, solum calorem sibi similem procreabit. Producere enim nobiliorem effectum non conuenit illi, nisi vt est alterius instrumentum, agentisque primarij intentione operatur. Quam ob causam Aristoteles in textu 41. calorem dicit non esse absolutam accretionis viuientium causam, sed concausam potius & instrumentum anime, ceu primariæ causæ, & textu 54. & 55. posterioris libri de ortu & interitu qualitates præclare distinguit esse instrumenta, formalque substantiæ primariæ agētia. Propterea si in 1. lib. de part. animal. c. 1. semen dixerit principium esse & efficiēs animalis, quòd gignitur, exposuit in c. 4. lib. 2. de eorundem ortu, & text. 31. lib. 7. Metaph. feminis illam virtutem esse instrumentariam & arti persimilem. Ergò quia vnũ quodq. operatur & producit aliud, vt est actus: accidens per se consideratum non nisi accidens potest producere; quia non est actus nisi illius generis. At vt substantiæ adiungitur, illiusque virtute agit, substantiam quoque, eamque perfectissimam produceret, quia est actus instrumentarius illius generis.

Accidens autem agere virtute substantiæ, non est virtutem aliquam illi addi à substantia deriuatã, per quam operetur: aut ad operandum applicari à substantia: quemadmodum artium instrumenta & virtutem accipiunt & applicantur ab artifice. Sed solum esse naturalem & propriam illius virtutem operandi, quæ intrinsecam cum ea cõnexionem & proportionem habeat: atque ex intentione agentis, cuius est instrumentum, dirigi ad producendum substantiam. Idcirco enim duntaxat illius virtute agere dicitur; hoc est tanquam naturalis eius virtus operandi. Semini quidem videtur tribui ab animali virtus quædam, qua producat animal, quia est instrumentum separatum. Sed tamen non ob hanc solum causam agere dicitur virtute animalis: quin potius, quòd ab illo decisum sit cum intentione producendi animal, sitque illius naturalis & proportionata agendi virtus. Quare in animalibus, quæ ex putredine nascuntur, quoniam qualitates eæ, quæ materiam disponunt, non agunt vt instrumenta, neque ex intentione particularis vilius agentis, in nullum agens particulare productiones eas referimus. Neque in ipsas qualitates, quòd effectus earum naturam & conditionem superet. Sed in Cælum, generale agens, quòd generali agendi virtute inferiores omnes formas virtute cõtineat. Cæli namq. lumen & calor disponit mat-

Quid sit accidens agere in virtute substantiæ.

Quæ ex putredine nascuntur, quæ quoque producantur.

riam & temperat qualitates; atque vt coeleste instrumentum qualitatibus ijs, quae sunt in materia, determinatum id optime praestare potest. Idem dixerim de metallorum, lapidum, aliorumque mistorum inanimorum generatione; quae nequaquam à simili procreantur.

Iam igitur his vniuersae disputatis, ad animae facultates accedendum est. Nullam creatam substantiam diximus immediatè & seipsa operari; sed virtute aliqua indigere, quae sit qualitas ab ea distincta, seu illius instrumentum. At quoniam instrumentum & virtus agendi proportionem habere debet cum praecipua agente causa; duo instrumentorum ac virtutum genera in natura cernuntur. Quenam admodum duo item sunt agentium genera. Quaedam sunt agentia inanima, quorum virtus & instrumentum ad tertiam pertinet qualitatis speciem; quia aut est qualitas prima, aut secunda. Alia animata & viuientia; quorum virtus operandi secunda specie, quae naturalium est facultatum, continetur. Ita fit, vt virtus operandi, quae in Deo est ipsa eius substantia, in reliquis omnibus sit accidens, qualitas secunda aut tertiae speciei. Propterea quod extra ipsorum substantiam & naturam consideratur, nec in eorum definitionibus nominatur.

Duo instrumentorum genera in natura.

Facultates aliquo modo distinguuntur ab anima, & inter se.

Si igitur anima, cuiusque facultates ad entium genera primò diuersa pertinent, aliquo modo, si non re, certè forma & definitione, distinguantur necesse est. Praesertim cum facultas essentiam animae perfectam supponat: sicut quodlibet instrumentum & virtus agentis supponit agens, atque illi ad promouendam eius actionem adiungitur. Principiumque operandi, quale est facultas, supponit principium essendi, cuius generis est anima. Neque demum ordo ad operationes in essentiali substantia conceptu continetur. Anima enim vt actus essentialis totum corpus organicum velut subiectum respicit. At vt est potens operari, respicit operationes tanquam actus primus secundos, & alias, atque alias corporis partes, vt primum agens illarum perficiendarum instrumenta non autem vt actus potestatem, & forma materiam. Quò fit, vt qui habet tactum, non continud ceteris sensibus polleat, atque vna facultas sine ceteris reperitur. Oculos habet quispiam, nec tamen videre potest. Quoniam oculi illi possunt quidè esse animae subiectum, at non operandi instrumenta, adestque illis animae substantia, at non operandi facultas. Aliud igitur anima est, aliud facultas. Obliqua etiam de facultatibus dicuntur, quae de essentia animae dici non possunt: vt illud, sensum aut intellectum actus suaderem, quam sensat aut intelligit. Facultates item, vt sensitiuum & vegetatiuum, appellat Aristoteles differentias animae: differentia enim aliquid significat superadditum & distinctum ab eo, cuius est differentia. Accedit, quòd si nulla esset facultatum distinctio ab anima, ne ipsae quidem inter se distinguerentur, sed videndi facultas esset essentialiter facultas item audiendi, intelligendi, & alia quaeuis. Cum tamen diuersos obseruamus actus, qui diuersas facultates testentur. Estque ineptum existimare aspectum formaliter audire, auditum tangere, & his similia: quae verè prorsus dicerentur, si nulla foret distinctio. Nulla item esset inter facultates nobilitatis, ac perfectionis differentia: nulla in homine facultas organica, in quo sola est intelligens anima: nulla intellectus & voluntatis distinctio. Quia cum facultates sint inor-

ganicae, nequeunt ex organorum diuersitate distingui, quemadmodum Nominales dixerunt Oechamus, Gabriel, Ariminensis, & Martinus. Sed ne reliquae quidem in homine distinguerentur, quòd organicae non sint. Denique confirmat experientia, vnam animae virtutem habere actus plene contrarios, vt actum recte rationis, & actus plures sentientis partis, qui cum vicissim in homine pugnent, fieri non potest, vt ab eodem principio omnes immediatè proficiantur: sed plures necesse est esse facultates ab eo quoquo modo distinctas. Ita enim vnam animam & plures facultates dicimus.

Ceterum minus probandum est, quòd S. Bonauentura in 2. sententiarum libro dist. 14. & alii tenuerint, nulli eas dixerunt re distinguere inter se, non ab anima, sed esse velut partes ipsius integrantes: & sic nec esse accidentia, nec de genere qualitatis, sed ad substantiae genus reduci.

Durandus verò in 1. lib. dist. 3. vegetantes facultates propterea voluit ab anima ratione sola distinguere, quoniam cum substantiam producant, appetentem enim nequaquam ille à nutriente separari omnino debent esse substantiae: Ab anima tamen non distinctae, quia dum ex intelliguntur esse anima, vna substantia esse in alia vt in subiecto. Sentientes autem & intelligentes tum ab anima tum inter se re distinctae. Quòd he animae ad plures operationes indifferentes sunt, ab alioque determinari debent. Et aliae materiales sint & organicae aliae immateriales & inorganicae. Atque cum accedens solum quodpiam producant, possunt tamen esse accidentia: re tamen distincta ab anima, atque adeo inter se; quòd vna interdum peccat incoluam altera. Neque enim Cæcus propterea dicitur, quòd sola caret operatione; alioqui dicitur quoque diceretur cæcus. Neque quòd caret anima, quoniam adhuc viuunt & sentiunt. Sed quòd caret facultate, quae incoluam anima destruit. Intellectum tamen & voluntatem re inter se re distinguunt. Tum quia vt in naturalibus appetentibus non est facultas distincta à mouente, vt appetentibus descendendi à grauitate: sic appetentibus intelligens à intelligente facultate distinguunt non debet. Tum quia si idem lumen & illuminare potest & caliditate, quidni & cognoscere & appetere possit eadem facultas, cum sint operationes inter se ordinatae.

Ceterum quidquid sit de quaestione proportionis in his certè, quae ad suam sententiam confirmantur, adfert Durandus, multa peccat. Primum; quòd in facultatibus vegetantibus substantiam accedens immediatè & per se agere, substantiamque ab alio ope instrumenti procreare. Quòd & iam constatum est; & si ita esset, multo minus necessarium erat reliquas facultates re ab anima separare. In enim anima vegetans potest immediatè substantiam producere; ea sane non nisi per operationem aliquam & operationem producant. Oportet igitur illam quoque operationem producant. At sentiens anima & intelligens, quae peractiores sunt, multò magis immediatè possent suarum operationes producere. Deinde rationes, quae pro hisce duabus animabus adfert, potuissent quoque efficere, vt idem de vegetante sentiret, quae non minus est ad plures operationes indifferens. Quam si determinari dicat ab obiecto, in reliquis idem dicere debuisset. Quòd item aliae organicae sint, aliae inorganicae; non est harum animarum proprium, solamque probat sentientium facultatem.

facultatum ab intelligentibus distinctionem. Aut si facultatum ab anima distinctionem velit conficere; conficiet quidem in homine sentientes facultates organicas ab inorganica intelligente anima distingui: at eodem modo vegetantes quoque hominis facultates ab anima distinctas esse concludet. In alijs animalibus nihil conficiet: quod anima sit organica, sicut & facultates. Neque in homine facultatum intelligentium, quae inorganicae sunt, distinctionem obtinebit. Quod autem addit de cecitate, potest illam in facultatibus vegetantibus vrgere. Quanam enim ex ipso, cur sterilis non gignat, neque fetus crescat, hasque facultates conficiam re ab anima distingui: Immo si propterea colligat sentientes facultates re inter se distingui, quod vna pereat incolumi altera; de vegetantibus idem licet colligere, in quibus auctrix & genitrix tolluntur vigente semper ea; quae nutrit. Quod si re inter se distinguantur, distinguantur item ab anima; quod ab ea nimirum separent. Denique vt non sit hoc loco de intellectus & voluntatis distinctione disputandum: quae tamen subiungit Durandus, non magis harum facultatum distinctionem impugnant, quam sentientis appetitus a sensu separationem. Verum hic appetitus, siue intelligens sit; siue sentiens; elicitorum actum secundum significat; quem naturalis appetitus non habet. Num autem propterea distinctam esse oporteat facultatem, alio loco examinabitur.

Duae sunt probabiliores sententiae altera sancti Thomae, altera Scoti; vtrumque sequuntur pluri. Sanctus Thomas pluribus in locis facultates omnes, tum ab anima, tum inter se re ipsa distinguendas esse constituit. Ita visus est sentire Philosophus; cum & animam sapie dixit esse vnam, facultates plures: & in textu 19. dubitauit, num facultates in corpore loco essent distinctae: & in tertio libro tex. 3. & 4. Intellectum a sensu separauit; quod ille inorganicus sit & impermissus, facultates caeterae organicae atque cum corpore permixtae. Et in lib. de Iuuent. & senect. cap. 2. generalem illam pronuntiauit propositionem; Quod vitur distinctum esse oportet ab eo; quo vitur: quippe anima fitis, dum operatur, facultatibus vitur. Ac demum in libris de moribus, in facultatibus, non in anima substantia, virtutes omnes possunt.

Quod si rem ipsam penitus consideres, idem plane conficies. Substantia namque nulla creata immediatè potest & se ipsa operari; sed tria oportet in ea distinguere, essentiam, virtutem operandi, & operationem. Eiusdemque generis actum & facultatem esse oportet: quoniam cum facultas perfici acti debeat, perficitur essentialiter vnum quodque ab eo, quod eiusdem sit generis. Actus & operatio animae est accidens; facultatem igitur quoque necesse est esse accidens, non substantiam. Neque enim consuevit natura ab extremo ad extremum sine medio transire; sed operibus eius maximè consentaneum est, inter animae permanentem substantiam, & operationem, quae est accidens transiens, mediam esse facultatem accidens permanentem. Deinde si anima esset re ipsa sua facultas quia intrinsecum illi est dare actum; sicut quandiu est in corpore semper format, quia se ipsa format: ita si se ipsa operaretur, operaretur semper. Immo vero frustra alioqui ponerentur in ea facultates, quae non aliam ob causam ponuntur, quam

A quod anima non potest se ipsa operari. Tum vero illud ipsum argumentum, quo antea distinctio aliqua probabatur poterit hoc quoque loco distinctionem rerum persuadere. Nam si facultates eadem res essent cum anima, eadem essent & ipsae: ar qui credi potest, eandem rem esse facultates videnti, audiendi, appetendi, mouendi, intelligendi quartum tantopere diuersa sunt organa, dissimilaeque operationes, vt vna etiam extingui penitus possit altera remanente. Certè si à commutata proportione liceat argumentari. Vt se habet esse ad essentiam, ita & operatio ad facultatem; Igitur quae est ratio operationis ad esse, eam esse oportet facultatis ad essentiam, itaque cum operatio re ab esse distinguatur, distinguetur item re facultas ab essentia. Praesertim cum esse & operatio sint effectus essentiae & facultatis, & quidem distincti, qui principia quoque distincta ostendant. Quin etiam ex facultatibus intelligentibus reliquarum item distinctio colligi potest. Eas vero omnino distingui necesse est ab anima: quoniam anima definitur esse actus corporis, intellectus autem nullius corporis est actus. Mito animam esse substantiam, facultates accidentia: animam per se existere, facultates in ea inherere. Vnum illud addam. In Elementis, quae infimè conditionis substantiae sunt, maximèque ad accidentium naturam accedunt, virtutes sunt operandi re ab illorum substantia diuersae, qualitates scilicet alteratrices & motrices: multoque magis virtutes animae, quae substantia perfectior est, ponendae sunt re ab illa distinctae. Cum praesertim substantia nulla possit se ipsa operari, sed omnis operatio accidentium sit & qualitarum à substantia distinctarum.

B Scorus tamen in 2. sent. dist. 16. non re, sed forma duntaxat, tum inter se, tum ab anima eas distinguere maluit: vt eadem anima, quatenus dat esse & absolute consideratur, appelletur substantia & anima: vt autem operandi principium est, atque ad aliud refertur, dicatur facultas, ac demum vt diuersarum operationum in diuersis organis principium existit, alias atque alias constituat facultates. Etenim in primo lib. huius operis textu 9. facultates hae partes animae appellantur: accidens substantiae pars appellari non potest. Et in textu 65. intellectus dicitur esse substantia immortalis. Quod eo etiam argumento confirmatur, quia si senex acciperet oculum iuuenis, videret vt iuuenis quoniam anima non est in senio debilitata, sed solum organum: At si facultas rem distinctam ab anima significaret, non solum organum debilitatum fuisset, sed facultas quoque: neque sola organi nutatio ad perfectam visionem recuperandam factis esset. In hoc autem 2. lib. tex. 9. vt ostenderet Philosophus animam esse actum corporis essentialè, aspectu accepit esse actum essentialè oculi, eamque esse totius sensus rationem ad totum corpus, quae est aspectus ad oculum: certum autem est, actum essentialem oculi esse animam, cum oculus pars sit animata. In eandem sententiam scripsit in textu 10. animam esse vt facultatem instrumenti: vt quemadmodum ex aspiciendi facultate, & pupilla fit oculus, ita ex anima & corpore constet animal. Deinde à textu 13. dum gradus deinceps viuentium distinxit, facultatibus eos & constituit & distinxit: atque in consequenti tractatione ita de facultatibus differuit, vt de ipsis animae partibus dicere se arbitraretur. Inter caetera in textu 19. quaesuit, num

C Quod si rem ipsam penitus consideres, idem plane conficies. Substantia namque nulla creata immediatè potest & se ipsa operari; sed tria oportet in ea distinguere, essentiam, virtutem operandi, & operationem. Eiusdemque generis actum & facultatem esse oportet: quoniam cum facultas perfici acti debeat, perficitur essentialiter vnum quodque ab eo, quod eiusdem sit generis. Actus & operatio animae est accidens; facultatem igitur quoque necesse est esse accidens, non substantiam. Neque enim consuevit natura ab extremo ad extremum sine medio transire; sed operibus eius maximè consentaneum est, inter animae permanentem substantiam, & operationem, quae est accidens transiens, mediam esse facultatem accidens permanentem. Deinde si anima esset re ipsa sua facultas quia intrinsecum illi est dare actum; sicut quandiu est in corpore semper format, quia se ipsa format: ita si se ipsa operaretur, operaretur semper. Immo vero frustra alioqui ponerentur in ea facultates, quae non aliam ob causam ponuntur, quam

Quarta Opinio.



facultates loco sint distincte, an sola ratione: & respondit in textu 20. eas nequaquam loco esse distinctas, quasi solam rationis distinctionem relinquens. In textu vicessimoprimum. Intellectum & theoreticam facultatem genus aliud esse animæ affirmavit, quod solum à corpore separatur, tanquam perpetuum à mortali. Facultatem ipsam genus animæ nominavit; est igitur idem re cum anima: & si facultas à corpore separatur, nimirum substantia est. In textu 22. alias animæ partes pronuntiauit separari non posse, nisi sola ratione; vt sentiens & opinans. In textu 27. & deinceps, dum de facultatibus disputavit, eas perpetuo animarum nomine appellavit; ijsque affirmavit viuientia distingui, tum inter se, tum à non viuientibus. In textu 36. anima est corporis causa, & formalis, & finalis & efficiens. Est autem efficiens causa, quia est principium operationum in illo. Et in textu 41. accretionis causam posuit animam & calorem. Quod si facultates distinguerentur ab anima, ipsæ potius & accretionis & operationum omnium essent efficiens causa. Denique in textu 42. vegetantem & gignentem prodidit eandem esse animæ facultatem. Iam inter Peripateticos illustre est illud Alexandri testimonium apud Aueroem comment. 20. lib. 7. Phys. Aristotelem affirmantis eo loco non probasse, ad secundam qualitatis speciem non esse motum; quod naturales facultates, quæ ad illam pertinent, idem sunt cum substantia, ad quam nullus est motus, vt in 5. libro fuerat declaratum.

Mitto Argumenta permulta, quæ tum ab huius sententiæ auctoribus, tum ab alijs congeruntur. Illud quidem certè in scholis Philosophorum est peruulgatum, non esse multiplicanda entia sine necessitate: nec omnino quidquam est, quod sola formali distinctione, organorumque diuersitate non facile explicetur. Nam si hoc non sit satis; An quia substantia nequit seipsa immediatè operari? At operatur accidens, ens imperfectius. Deinde præsto est natus calor, adestque spiritus, quibus vtatur anima. An quia plures operationes inter se distincte ab vnica nequeunt entitate proficisci? At diuersa sunt organa, quibus ea diuersas exequatur actiones. Et ab eodè calore an nõ oriuntur calefactio rarefactio, aliaque similes operationes? Quæ si inter se ordinatè esse dicantur; an non ab intellectu proficiscuntur assensio, & dissensio, atque à voluntate volitio & nolitio; actiones non diuersæ modo, sed & oppositæ. Deinde vt se habet virtus calefaciendi ad calorem ita facultas animæ ad animam; virtus autem calefaciendi nequaquam re à calore distinguitur. Nequelicet respondere, calefaciendi vim à calore propterea non distingui, quod calor sua natura ordinatur ad operationem: anima verò immediatè comparata est vt det esse. Quoniam calor quoque forma quæpiam est & qualitas, quæ per ordinem ad subiectum naturam suam habet: primumque ad dandum esse & afficiendum subiectum, deinde ad operandum refertur. Accedit, quod vt potestas patiendi materia est idem re cum illa, ita de agendi animæ potestate æquum est existimare. Præsertim cum actus primus suapte natura spectet secundum, illiusque principium sit. Denique si hæ facultates re ab anima differrent, possent sanè à Deo ita separari, vt ab oculo (idem de reliquis dicas) auferretur anima relicta facultate videndi: possentque oculus absque anima videre & iudicare de obiectis. At vbi non est anima & vita,

esse nequit operatio vlla animata & vitalis, que nisi à principio coniuncto & vitali proficiscitur. Tunc verò accidens separatum (sola scilicet facultas separata) ab anima fieri posset beatum. Quælibet enim forma, que sit ratio agendi, si per se subsistat, agere potest; quemadmodum calor separatus calefacere nimirum. Quare si intellectus & voluntas separarentur ab anima, intelligere possent & amare, aut adeo beari; cum in harum cogitatione & amore disposita sit omnis nostra beatitudo. Id verò nequaquam sapientes dici posse, demonstrabunt Theologi.

Hæc tum pro sancto Thoma, tum pro Scotis disputari posse videntur. Vt melius sentitur, videntur sapientiores Philosophi. Equidem vt in posterioriorem partem magis proponendum que simpliciter quoque fuit in com. tex. 7. & 9. lib. 1. nihil tamen vdeo demonstratum, sed probabilioribus argumentis confirmatum; neque ex Aristotele quidem certi habemus. Magnopere illius ingenium probabo, qui in re dubia & probabili vtam que per se probabiliter tuebitur. Etenim necessaria quidem est aliqua & ab anima & inter se facultatum distinctio; at minimè necessariam videtur eam esse distinctionem rerum. Nam et si in rebus omnibus materiam aliquo sit opus instrumento re ab illis distincto vt ijs, quæ anima caret, est manifestum: hoc tantum animatis dici potest esse organum corporis, spiritum, & calorem innatum; quibus anima immo omnia exequitur. Quare si facultates sumantur organis ad operandum necessarijs, re ipsa distinguntur ab anima; non minus, quam instrumentorum instrumenta ab ijs formis, quarum sunt instrumenta. At si solum significent habitum, vt anima, ac principium, quo per ea instrumenta dicitur operatio: hoc differunt ab inanimatis animata, quod in illis facultates operandi re quidem dulciter substantia & forma operante; sed idem sunt cum instrumentis. Virtus enim calefaciendi in igne differt à forma substantiæ ignis: at idem est cum calore, qui & calefaciendi virtus appellatur, quoniam est calefactionis principium; & item instrumentum, quatenus per illum ignis operatur. Quoniam si vera esset illa sententia, quam grauissimi allerunt Philosophi; primas qualitates forma esse Elementorum substantiales, ne hoc quidem foret inuersè verum. At si in hoc entium genere facultates distinguitur à substantia, id ex imperfectione naturæ: & ideo inanimatæ formæ comparatione animatarum appellantur mortuæ. In animatis autem propter maiorem horum entium perfectionem, facultas est idem re cum substantia. Sunt enim substantia viuientes, seque ipsis potentes operari. Formam tamen distinguitur, quia non tantam habent perfectionem, vt eam sibi omnino identificare possint.

Itaque tribus modis se se habet in rebus agens facultas. Perfectionissimo modo in Deo supremo omnium agente. In quo propter summam eius perfectionem atque infinitam & illimitatam entis rationem idem re & forma est cum ipsius essentia, seque que mentis nostræ actione distinguitur. Imperfectionissimo in rebus inanimatis, in quibus propter summam imperfectionem re ipsa distinguitur. Medio modo in animatis & intelligentibus, in quibus propter maiorem illarum perfectionem est idem re. Et ideo ex se ipsis operari dicuntur. Sed forma distinguitur & definitione: propterea quod tantam vim non habet essentia vt rationem omnem facultatis absorbeat, quemadmodum absorbet instrumentum.

Dei perfectio. Hoc tamen inter animata & intelligentias à materia penitus remotas interest. Quod animatae res praeter formalem hanc facultatem ab essentia distinctionem organa quoque opus habent, spiritu, & calore, distinctis. Separatè mētēs in illo indigent instrumento re ab ipsis diverso. Quod fit, ut modus operandi intelligentiarum per facultates forma duntaxat distinctas, medijs sit inter modum operandi Dei per suam essentiam, & rerum animatarum, quae organa item re diversa habent. Ac rursus modus operandi rerum animatarum sit medijs inter modum intelligentiarum per solas facultates forma distinctas, & rerum inanimatarum, quae solis instrumentis re distinctis niuntur. Vnde admirabilis planè insurgit ordo agentium in diversos tributus in natura: Primum Dei, secundum separatum mentium; Tertium rerum animatarum; postremum rerum inanimatarum.

Que verò ad realem distinctionem ostendendam proponantur, non est difficile explicare: nam dum anima dicitur esse vna, & facultates plures: aut satis est distinctio formalis: aut si realis quaeratur, ea ex diversis organis petenda est. In quibus re distinctis dum considerantur facultates, ipsae quoque re distinctae existantur. Ex eo autem loco, in quo proposuit Philosophus, num ead distinguntur, loco, contrarium potius concluditur. Dum enim respondet, nequaquam loco distingui; sola superest rationis ac definitionis distinctio. Iam intellectum esse organicum, sensumque uti organo; non tam ostendit realem facultatum distinctionem ab anima, quàm inter se. Sed ne hanc quidem nisi operantes facultates sumantur. Quia dum operantur, vna vitur organo, altera non vitur. At si pro sola habilitate & principio accipiantur; solam indicat distinctionem formalem, tum inter se, tum ab anima. Quoniam eadem intelligens anima, ut secundum suum gradum proprium operatur, non vitur organo, atque intellectus vocatur: ut autem operatur secundum gradum inferiorem, organum quoque corporis adhibet & sensus nominatur. Pleraque item alia de hac eadem formali distinctione intelligere oportet. Nam cum id, quod vitur, dicitur debere distingui ab eo, quo vitur, nisi de instrumentis completis accipiantur, quale non est facultas absque organo; formalem solam distinctionem intelligas. Quemadmodum etiam cum alias, atque alias virtutes in alijs atque alijs facultatibus Philosophus idem disposuit. Atque in rebus creatis essentia, virtus operandi, & operatio separantur. Sola enim haec distinctio, quae in re habeat fundamentum, satis potest vniuersum illud entium genus à Deo separare; in quo nullo modo, nisi mentis nostrae actione, illa omnia distinguuntur. Et si in quibusdam sit quoque rerum distinctio, ea ex nimia illorum entium imperfectio-
E ne nascitur. Actum & facultatem debere esse eiusdem generis verissima sanè est propositio. Sed dum eam Philosophus pronuntiauit, genus & differentiam in singulis categorijs intellexit. Et cum actum affirmamus esse oportere in eodem genere, in quo est facultas; sermo est de facultate patiendi aut obiectua, quae actuari debet ab actu: non de actiua, quae actum debet producere. Deinde si argumentatio, quae ex illa propositione dacebatur, quidquam efficeret; efficeret quoque animae facultates in genere actionis, ad quod earum actus & operatio spectat, ponendas esse: quae tamen secundum qualitatis speciem constituunt. Neque ta-

men propterea opus est eas distingui ab anima, quae est substantia. Quoniam non omnia entium genera distingui, manifestum est in relatione & fundamento, quantitate & figura, actione & passione, & alijs pluribus. Negandum etiam, animam & operationem esse extrema: potius enim sunt vt causa & effectus; inter quae si quid requiratur medium, illud erit accidens formaliter ab anima distinctum. Dum autem verentur, ne anima semper operetur, caueant; ne facultates quoque re distinctae operentur semper: cum semper sint in anima. Deinde videant, non eandem esse rationem formalis actus & operationis. Nam ad diuersum causae genus pertinent: & formalis perpetuò dat esse, at efficiens non semper operatur; quòd ab alijs pluribus, à quibus impediri potest, illius operatio pender. Hanc enim ob causam deficiente obiecto, aut alia re ad operandum necessaria, non semper operatur anima. Praeterquam quòd formalis actus prouenit à forma communicante se ipsam: efficiens operatio aliquid est ab eo diuersum. Et facultates quidem cum organo coniunctae, vt distinguntur, sic vna est nobilior altera: discrepantesque habent operationes, & vna incolumi perit altera. At si solitariè considerentur, vt habilitatem quandam significant; nec inter se, nec ab anima secus distinguuntur, quam vt vel per se & absolute consideratur anima vt dat esse, vel vt in organo principium existit operandi. Neque vna perit sine altera; sed omnes simul cum anima inter imuntur in bestijs & plantis: in homine sunt immortales; quia nil aliud sunt, quam ipsa anima potens hoc vel illo modo operari. Neque cœcum animal dicitur, quòd videndi facultatem amiserit; sed quod dispositionibus & organo ad eam necessarijs careat. Verùm etsi in ijs, quae organicae sunt, vnum concedamus sine altera interire; destructo scilicet organo, per quod anima poterat operari: Non licet tamen realem distinctionem inde concludere. Quoniam cum res ordinem significet ad existentiam, diuersae res ea dicuntur, quae diuersas habere possunt existètijs, ac seorsim separatae ambe existere. Quare dum vna facultas ita ab altera aut ab anima separatur, vt penitus intereat, nec vsquam existat, neque existere possit; sola concluditur formalis distinctio: sicut & dum relatio separatur à fundamento, & figura quæpiam à quantitate, & omnino modus ab ea re, cuius est modus; non propterea hære ipsa, sed formaliter solùm distinguuntur. Iam vero proportio illa esse ad essentiam, & operationis ad facultatem, fallax est. Quoniam nõ est in eodem genere causae; sed esse est effectus formalis essentiae, & operatio à facultate tanquam ab efficiente causa proficiscitur. Cùmque ex effectuum diuersitate colligitur causarum diuersitas, eos oportet esse effectus nequaquam inter se ordinatos. Nam si ordinè habeant, ab eadem causa possunt oriri; sicut à calore calefactio, & rarefactio. Ita enim esse operari, quorum vnum ordinatur ad alterum, ab eadem animae essentia proficisci possunt. Intellectus illud quidem cum reliquis facultatibus habet commune, vt idem re sit cum anima: dicitur tamen non esse actus corporis: duplex est causa. Altera, quia conuenit animae intelligenti non vt est corporis forma, sed vt subsistens & independens à corpore. Altera, quia dum operatur, nequaquam vitur corporis organo, vt facultates ceterae. Atque cum reliquis consideremus, & vt solam habilitatem significant, & vt cum organo coniunctae sunt; Intellectus priori solùm

modo consideratur. Igitur facultates hæc omnes re ipsa sunt substantia, formaliter accidentia. Et quoniam existentia conuenit cuique rei ratione realitatis, et re ipsa non inhaerent, sed per se subsistunt; quia sunt ipsa anima, quæ est substantia; formaliter autem inhaerent, quia concipiuntur tanquam accidentia substantiæ.

Et hæc quidem per quam probabiliter dici possunt. Cæterum distinctio quoque realis suam habet probabilitatem: maximè dum illæ facultates considerantur, quæ organice appellantur, & materiales in homine: tum quia magnopere videtur substantiæ creatæ conuenire, ut per agendi virtutem re distinctam agat: neque organa corporis, natiuus calor, & spiritus, videntur esse virtutes, sed instrumenta mera. Ut hoc solum anima res inanimatas superet; quòd & agendi virtutem habeat, & præter eam alia quoque instrumenta à se distincta.

Ad Aristoteli
argumenta
A. op
nomi
nona.

Ad eam verò, quæ ad distinctionem formalem persuadendam proponebantur, ita respondendum erit. Abusus est interdum Aristoteles nomine partis, ut facultatem significaret. Aut partem dixit non essentia aut quantitatis, sed potestatis. Et si facultas sit materialis & organica, debilitato organo ipsa quoque debilitatur. Quòd si solum organum vilis sit dicere in senio debilitari; illud afferbatur, ut ostenderet intellectum esse immortalem. Si enim deberet interire, interiret maximè corpore in senio debilitato. Tunc autem non interire, argumeto probauit sentiens animæ; quæ nequaquam interit, quia si senex acciperet oculum iuuenis, videret ut iuuenis. Quæ ex re concludi voluit, si anima sentiens non interit nisi destructo organo & corpore, nullo modo interire intellectum inorganicum & incorporeum. Itaque aut ex eo loco nihil de harum facultatum distinctione licet colligere: aut si quid colligendum sit, videndi quoque facultatem dicas debilitatam esse in senio. Quoniam organo debilitato ea item facultas debilitatur, quæ ab organo pendet, atque animam organi ratione sequitur. Aut demum ne ipsa quidem debilitata est, sed propter organi imbecillitatem imbecillius operatur; eoque rursus confirmato atque ad pristinum robur restituta perfecte operabitur. Cum autem animam probauit esse actum corporis essentialem, facultatem videndi accepit esse actum essentialem oculis; non quòd ita esse existimaret: sed quòd si ita esset, oculus homonymè diceretur, postquam ab eo facultas esset separata. Ita colligit animam esse actum corporis essentialem; quoniam si ea separaretur, corpus homonymè appellatur organicum. Sicut etiam in textu 8. esse securam accepit esse actum essentialem securis. Quod tamen verum non est, nisi ut est instrumentum. Quo modo facultas quoque videndi diceretur actus essentialis oculi; non absolute, sed ut est instrumentum eius operationis. Quemadmodum ex facultate item videndi & pupilla fieri oculum affirmauit, quatenus instrumentum quoddam est. In textu 19. & 20. facultates negauit esse loco distinctas, quemadmodum Plato voluerat: non tamen eas re distinctas esse. In textu 21. intellectum, ut alibi sæpè, intelligentem animam appellauit: aut intellectum ipsum ut est illius animæ facultas. Sic enim diuersum est animæ genus, aut certè alterius generis animæ facultas; potestque separari, dum anima separatur, quia propriam habet operationem, in qua corpori nihil commune. Hinc in tex-

tu 22. cæteras opposuit animas, earumque facultates, quæ ratione sola & definitione separantur: non quidem inter se aut ab anima, sed à corpore, ut ut per se seorsim existant. Intereunt enim omnes simul cum corpore. Quòd si animarum nomine intelligi sæpè voluit facultates, & facultatis distinctio distingui nihil mirum. Aut enim essentia distinguuntur, si facultatum nomine intelligantur animæ, aut propriè si facultates ipsæ significantur. Anima triplici modo est corporis causa: forma quæ dat esse: finis, quia propter illam fabricatum est corpus: Efficiens, quia primum, si non immediatum, operationum principium. Facultates & ipsæ efficientes dici possunt, sed velut animæ instrumenta. Eandem ob causam animam potius, quam facultatem, accretionis causam esse voluit. Postremo cum eandem facultatem esse dixit vegetantem & procreantem, nihil de ea, quam nunc querimus, distinctione colligi potest. Quoniam eandem distinctiuitatem, aut sine, aut genere, aut obiecto, ut in cœmetario illius loci dictum est. Jam ratio, cur in Phil. probatum non fuerit, ad secundam qualitatem speciem non esse motum, non est ea, quam habet Alexander, sed hæc potius, quia cum eiusmodi facultates habeantur à natura, non sunt per motum comparande.

Venio ad eas rationes, quibus hæc ipsa realis distinctio confutabatur. Facultates necesse est omnino distinguere ab anima, quoniam hæc immediatè nequit operari seipsa. Et quamuis calorem habet, spiritum, ac diuersa corporis organa, hæc tamen omnia imminuentibus animæ operationibus non sunt, sed opus adhuc est instrumentum conuictum cum anima. Quòd enim vis calefaciendi aut distinguitur à calore, ex imperfectione naturalius virtutis, aut ignis, cui ea virtus est satis. At anima nobiliorem virtutem, eamque sibi committendam postulat. Deinde quam sit diuersa ratio facultatis patiendi materiæ, & facultatis agendi animæ, hæc demonstrat. Se ipsa enim patitur materiæ, quæ ipsam subijcit perficiendo: anima nequit seipsa operari, quòd nulla creatura substantia immateria agit. Et anima quidem, ut est actus primus, seipse refertur ad actum secundum, estque operatio hæc actus secundum principium primum, non immediatum & proximum. Ad extremum ut facultates dicitur posse à Deo separari ab anima, eas negabitur separatas operari posse: propterea quòd nullam habeant formam, aut actum, qui primum operationis principium sit. Immo cum alterius instrumentum duntaxat sit, quæ cum primaria causa oportet esse coniuncta, quòd vitalium & immanentium operationum sunt instrumenta: si ab ea separantur, nihil profusus operabuntur. Neque separata facultas operari posset, neque omnino operari. Calor autem paratus nimirum calefaceret, quia est instrumentum sit ignis ad talem vel talem calefactionem, primum tamen habet, quæ absolute potest calefacere. Itaque explicatis vtriusque partis argumentis, non erit cuique liberum vtram maluerit partem, aut etiam vtramque disputando tueri.

Cum igitur facultates aliquo modo distinguantur ab anima, eam necesse est quoquo modo potest illis esse, tum dignitate & perfectione, tum natura. Etenim anima substantia est, facultates accidentia: hæcque propter illam comparate sunt, cum virtutes eius operandi. Suntque principia quidem operationum

corpore, nisi ratione animæ, quæ materialis est & corporea. Tum quia præcipue significant habilitatem illam, quæ solius est animæ; secundario addunt organa, quæ suppeditat corpus.

Eas potèd neque solius esse animæ, neque solius corporis, sed totius coniunctæ apertis verbis docuit Philoſophus in primo huius operis libro textu 14. 64. & 66. & in libro de ſenſu & ſenſibili, capite primo & in lib. de ſomno & Vigilia, capite primo alijsque in locis. Namque duæ illæ animæ, vegetans, & ſentiens, quidquid ſunt, ſunt in materia, extenſæ, partibiles, atque à materia pendentes; & ideo eadem eſt facultatum & operationum conditio. Quia ſi ipſæ ſint, ſuſtententur in alio, omnino nequeunt ſolæ aliorum ſubiectum eſſe: atque huic adferri poteſt illud ex capite primo, libri de Somno & Vigilia. Eiuſdem eſt actus, cuius poteſtas. Si enim poteſtas in ſola eſſet anima, operatio quoque in ea ſola ineſſet; animæque plantarum, & brutorum animalium per ſe ſubſiſtentes forent, non pendentes à corpore, atque adeò ſeparabiles; quemadmodum intelligens hominis anima. De ſtirpium igitur & mutorum facultatibus ita ſentiendum.

*In ho-
mine fa-
cultates
omnes in
ſola ani-
ma ſu-
ſtentari.*

De homine, in quo hæc quoque omnes cernuntur, nec tamen ineſt anima vegetans, aut ſentiens quoad proprios illarum actus extenſos, & pendentes à corpore; ſed ſola intelligens imparibilis, & ſubſiſtens, à qua facultates omnes & operationes prodeunt, diuerſum planè Iudicium. Non deſunt; qui hæc quoque in toto homine ponant. Tum quod ex item operationes non minus, quam in viuentibus cæteris, à quantitatis conditionibus pendunt; nec niſi res ſingulas & materiatas percipiunt. Tum quòd ſi ſola operetur anima, organa & membra corporis non alium habebunt uſum quam medijs, per quod animæ ſub miniſtrentur ſpecies, aut obiectum. Tum demum quod hæc facultates organice appellatur.

Verum quo minus ego ita lentiam, illud facit, quod paulo ante propoſui. Non enim fieri poteſt, ut eadem facultas & operatio, & partibilis ſit & imparibilis, in ſubiecto quanto & non quanto. Et quoniam facultates prodeunt ex anima, corpori nequaquam poſſunt fieri communes, niſi quia pendentes à corpore anima naturam habeat. Intelligens anima nullo modo pendet. Quare nec facultates habere hæc conditione poteſt, ut eas corpori faciat communes. Quod ſi operationes eius materiales & quantæ eſſe videantur, propterea videntur, quia circa obiectum materiale & quantum occupantur; Neque res immateriales & vniuerſas poſſunt cognoscere, quòd ſua natura operationes ſunt anime materialis, nec niſi ea comprehendunt, quæ aut in organo ſuſcipiuntur, aut illi repræſentantur. Itaque Homini organum eum ſolum habet uſum, ut in eo ſuſcipiatur, aut repræſentetur obiectum: Deinde anima illud ſua facultate cognoscit. Atque hæc eſt cauſa, cur hæc facultates in homine dicatur organice. Et ſi enim in ſola ſint anima ſubſiſtente; quoniam tamen ſuapte natura facultates ſunt materiales; forma, operari omnino nequeunt, niſi in organo materiali & corporeo, circa materiale item & corporeum obiectum.

A Probabilius fortalſe cuiſpiam videatur, facultates hæc re ab anima diſtinctas, atque ad eorum operationes in homine eſſe in ſolo corpore, atque ab anima originem ſolum & principium habere; & ideo conſeruari & recuperari ab anima, eaque ſublata penitus interire. Ita enim & facultates, & actiones verè eſſent materiales, & organice; corporiſque membra vera organa, quæ tanquam efficiencia ad has operationes concurrerent. At illud obſtat, quòd, ut antea demonſtratum eſt, facultates omnes cum anima habitacum quandam ſignificent, per ſe primum ineſſe oportet anima, non in corpore, niſi quatenus animæ inhæret corpori.

B Malim de hominis facultatibus tam magiſtice ſentire, ut has ipſas, quæ in viuentibus cæteris corpori. Sunt communes, ſi pro ſola habitate ſumantur, eſſe credam in ſola anima. Quoniam cum anima habitates quedam ſunt, non niſi animæ interuentu ſint in corpore: Dum intelligens anima, cuius hæc omnes habitates ſunt, non inhæret corpori, ſed viribus proprijs ſuſtentatur, corpori nullo modo poſſunt conuenire. Quod multo magis affirmandum eſt, à facultates dicat eſſe idem re cum anima. Si enim idem re ſint cum anima, quæ corpori non inhæret, omnino nec ipſæ inhære poſſunt.

C De intelligentibus facultatibus multo magiſtice eſt, eas anime proprias. Nam non ſolum Philoſophus in tex. 66. libri primi intelligere, contemplari, & intellectum ipſum dixit diuina quid eſſe actionibus reliquis & facultatibus. Et textu 92. ne ſingi quidem poſſe quomodo intellectus aliqua corporis parte contineatur. Et in textu 4. & 6. libri tertij intellectum non debere eſſe emiſum cum corpore, ut omnia poſſit intelligere. Et in capite tertio libri ſecundi de animalium actu, ſolam mentem forinſectis aduenire, eſſentia diuinam, quia nihil cum eius actionem conueniat actio corporea. Verum ita eſſe ratio quoque concludit. Tum quia hæc facultates proprie ſunt illius anime, quæ ſubſiſtens eſt, nec pendet à corpore. Tum quia ipſæ quoque ſimul cum anima à corpore ſeparantur: non ſeparantur autem, ſi eſſent in corpore, ut in ſubiecto: Quippe dicto ſubiecto omnia ſimul illius accidentia partem necesse eſt. Tum demum, quia ſi eſſent in corpore, materiales eſſent, nec niſi res corporeas & materiatas perciperent: cum tamen circa vniuerſalia quoque & ab omni materia & corporis conditione liberæ verſentur. Sanè totum hominem dicimus intelligere; non quòd in eo toto, ut in ſubiecto, ſit intellectio: ſed quòd anima, quæ intelligit, pars illius eſt eſſentialis. Totus enim homo intelligens appellatur; etſi anima ſola, pura corpus; intelligens ſubſtantia ſit. Etenim actiones omnes ſunt ſuppoſitorum, perfectarumque ſubſtantiarum.

D Siquis verò totius huius rei rationem quaerit, noſſe illum oportet, intelligentem animam eſſe actum corporis, ut quia eſt actus & ſubſtantia imperfecta, det eſſe corpori; non intelligendo, ſeu inexiſtendo, ſed ſolum formando. Et enim ipſa actus & ſubſtantia per ſe ſubſiſtens & abstracta. Quòd ſit, ut quoniam accidentis natura eſt, ut ſuo ſubiecto inhæreat, intellectus & voluntas.

voluntas, intellectio & volitio, inhæreant illi. Et cum accidens non sit actus cuiusque nisi inhærendo, propterea dici non possunt actus corporis. Quia cum inest in anima, quæ corpori non inhæret, nec ipsæ inhærere possunt. Toti tamen homini tribuuntur anime, quod inhæreant anime, quæ actus est & essentialis forma hominis. Propterea potius dicendum scripsit Philosophus in textu sexagesimo quarto primi libri, hominem anima misereri, discere, aut cogitare; quam ipsam animam. Nam et si alij aliter verba illa interpretentur; vt tamen de intelligente anima sit sermo, nihil aliud voluit Aristoteles, quam loquendi formam præscribere, actioneque illas denominatiue toti homini tribuendas esse; quamuis in sola sint anima tanquam subiecto, vt habetur in textu sexagesimo quinto & sexagesimo sexto, quibus has facultates intelligentes ostendit inorganicas esse, impartibiles, planèque diuinas.

At si facultates omnes, tum intelligentes, tum reliquæ, insunt in homine in sola anima; quodnam inter eas discrimen fuerit? Differunt plurimum, tum operatione, tum ex parte ipsius facultatis. Operatione; quoniam intellectus & voluntatis operationes absque vilo perficiuntur organo, aut dispositionibus, à quibus, vt subiecto, pendeant. Cognitio enim & iudicium anime, susceptioque intellectus speciei, aut obiecti, sine vilo constar organo, in sola viget intelligente facultate: Quoquomodo duntaxat, extrinsecè, vt ab obiecto, pendet à phantasmate; quatenus ab illo obiectum abstrahit, speciemque intellectualem. At sentientium facultatum integra operatio ab organo pendet tanquam subiecto; propterea quod susceptionem includit speciei, aut obiecti, vel certè representationem in organo.

Ex parte autem facultatis sentiens facultas præter anime habilitatem determinatum organum; corporisque dispositiones per se adsignificat, & sine illis facultas censetur diminuta, neque actum suum promerere potest. Intelligens facultas nullum poscit organum, aut corporis dispositionem; seipsa perfecta est & operatur. Deinde et si earum neutra inhæreat corpori; facultati tamen intelligenti, quæ eam consequitur animam, vt intelligens est & subsistens, id per se conuenit. Sentienti autem & vegetanti non nisi ex accidenti; quod animam consequantur, quatenus inferiores continet formas, quæ naturali conditione deberent corpori inhærere. Quod si in homine non inhæreant, id ex accidenti euenit; quod meliorem sortiantur conditionem, atque ex nobiliori forma subsistente oriuntur.

Quocirca facile explicabitur multorum dubitatio de sentientium ac vegetantium facultatum distinctione in homine, ceterisque viuentibus. Nam si idem re sint cum anima sola, que differant forma; sanè differunt specie (facultas inquam videns in homine & equo; aut facultas nutriens in homine & planta) immò & genere; si re ipsa considerentur. Quia nil aliud

A sunt re, quam ipsa anime, quæ specie, immò & genere discrepant. Si tamen formaliter considerentur, vt sunt habilitates ad hanc, vel illam operationem, circa hoc, aut illud obiectum, qua in re formalis facultatum vis consideratur; sunt sanè eiusdem speciei, aut generis; vt genericè, aut in specie spectari possunt quippe circa eadem versantur obiecta.

At si re distinguantur ab anima, multò magis eiusdem sunt speciei. Tum quia anime sunt qualitates secundæ speciei. Tum quia qualitates illæ in homine intelligentem animam committantur; non vt est intelligens, sed vt animas continet eiusdem rationis cum ceterorum viuentium animalibus. Tum etiam quia eadem hæ facultates in homine quoque deberent sua natura corpori inhærere, sicut & anima sentiens: Sed vt hæc anima non inhæret, quia in actu superiori continetur; ita facultatibus accidit corpori non inhærere, quia sentientem animam, non in actu proprio, sed in actu superiori consequuntur.

Quamquam eadem est ratio facultatum, quæ & actum sentientem in se, & contentum in superiori committantur: Et ideo eiusdem sunt speciei, & in homine, & viuentibus ceteris, in quibus proprium earum animarum actum consequuntur. Quare in homine quoque licet in sola sint anima, quoquo tamen modo dicuntur esse actus corporis; quia saltem adsignificat dispositiones, & organa eius, sine quibus operari nequeunt; quod suapte conditione materiales sint & corporeæ.

Denique huc etiam spectare videtur illa difficultas, num facultates diffusæ sint & sparsæ per totum corpus. De qua cum superius quoque dictum sit, paucis nunc colligam, intelligentes in omnibus omnino partibus esse, quemadmodum & ipsa anima tota est in toto corpore, & tota in qualibet eius parte. Vt enim ea impartibiliter est in toto corpore, ita impartibiliter sunt omnes illius facultates, quæ & in ea sola insunt, & absque vilo corporis organo operantur. Quare dum hæ operationes fiunt, nulla est corporis pars, in qua exerceantur. In capite præsertim videntur perfici, quod ibi viget phantasia, cuius in actionibus intellectus est plurimus vsus. Verò tamen si nulla dixeris esse corporis parte, sed in ipsa demtaxat impartibili anima, quæ corpori non inhæret.

De reliquis, si ex sint idem re cum anima, videbitur quidem eas debere esse per vniuersum corpus diffusas, dum ea ratione considerantur, quæ solam anime habilitatem significant. Quamquam vt dispositiones item & corporis organa dicuntur. (Quomodo facultates integre, & operatrices censentur) non sint, nisi in ea parte, in qua est dispositio, & organum. Verum ne hoc quidem est necessarium. Dicit enim potest, animam quidem, quæ re ipsa est facultas, per totum corpus diffusam esse: At facultatem, quæ ab ea formaliter distincta est, seu animam, quatenus formaliter

*Nil scilicet
cultus esse
per totum
corpus
diffusa
sunt.*

facultatem & habilitatem significat, in ea sola vigere parte, qua visitur organum. Quoniam in ea duntaxat parte anima est potens, & apta ad operandum : Et ideo in ea sola vim habet facultatis.

Quod si facultatem reipsa distinguit ab anima multo magis affirmare poteris, facultatem non ubique & in toto corpore animam consequi, quia frustra, & absque vilo vsu consepatur: sed in ea solum parte, in qua comparatum est organum ad operandum accommodatum, quemadmodum adnotato loco pluribus expositum est.

DE FACULTATE

vegetante.

CAPVT IV.

TEXTVS.

Αναγκαῖον ὅτι μάλιστα ἀπὸ τούτων οὐκ ἔστιν αἰσθητικὴ, καθεστὴς, ἢ ὄντι ἐκείνῳ αὐτῷ, εἴη οὕτως ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν. οἱ δὲ ἄλλοι μὴ ἔχουσιν αὐτῷ, εἴη τὸ νοσηρὸν ἢ τὸ ἀσθενεὲς, ἢ τὸ ἀρρωτικόν. ἀσθενεῖς ἢ πρὸς τὸ μακρὸν ἢ τὸ βραχὺ, ἢ τὸ ἀσθενεῖς. ἀσθενεῖς δὲ ἀπὸ τῶν δυνάμεων αἰσθητικῶν, ἢ ἀπὸ τῶν ἰσχυρῶν. οἱ δὲ οὕτως, τούτων δὲ ἔστι ἀσθενεῖς τὰ ἀσθενεῖς δὲ τὸ ἀρρωτικόν. ἀπὸ τῶν αἰσθητικῶν ἀσθενεῖς δὲ τὸ ἀσθενεῖς, ἢ τὸ ἀσθενεῖς, ἢ τὸ ἀσθενεῖς, ἢ τὸ ἀσθενεῖς.

Tex. 33. *Necessarium autem, eum, qui de his considerationem facturus est, accipere quid est unumquodque ipsorum: Postea sic de his, qua consequuntur, agere. Si autem oportet dicere quid unumquodque ipsorum, ut quid intelligens, aut sentiens, aut vegetans; prius adhuc dicendum, quid intelligere, & quid sentire. Peiores enim facultatibus operationes & actiones secundum rationem sunt. Si autem sic: his autem adhuc priora opposita oportet considerasse: De illis primum utique oportebit definire propter eandem causam, ut de alimento, de sensu, & intellectu.*

COMMENTARIVS XXXVI.

Agrediens Philosophus specialem & propriam singulatum animarum considerationem, duo statim praestat. Principio proponit quid sibi agendum sit. Deinde quo ordine, quaque methodo procedendum. Eum igitur, qui de his facultatibus in specie considerationem facturus est (scientialem cognitionem interpretatur Simplicius; accuratam saltem & diligentem considerationem quilibet intelligit) proponit omnino debere explicare, quid sit earum vnaquaque: Tum vero proprietates & affectiones earum inuestigare. Siquidem primum quid est, ut dicebatur in textu vndecimo libri primi, est id per quod reddimus causam existentium omnium.

Hocque si habeas, exquisitissima doctrinae, nec quidquam amplius querendum superest. Hoc est illud (*ἀπὸ τῶν ἐχθρῶν*) hoc est de affectionibus & accidentibus proprijs, quae vnaquaque animam consequuntur. Ut quilibet nutriendi beneficio in omnibus conseruetur, quod sensus à vehementioribus obiectis habetur, intellectus roboretur; quod intellectus separabilis, cetera inseparabiles, ille inorganicus, haec organicae. Sic enim demum perfecta habebitur vniuscuiusque cognitio, quae sententiae & proprietatum cognitione absoluta. Cum autem considerandum proponit, quid sit intelligens, obiter obseruabis, intellectum quoque, non minus, quam ceteras animae partes, quidam à naturali Philosopho in huius libri primo de Partibus libro disputantur, ostendit et in totius huius nostri laboris praefatione.

Deinde quasi simul soluens quaestionem propositam in textu decimo libri primi, an intelligendum sit de facultatibus animae, an de operationibus; & an de operationibus prius, an de obiectis; quoniam ex notionibus nobis querenda est eorum cognitio, quae minus nota sunt atque perfecta: principium inquit faciendum esse ab operationibus atque ex illis querendam facultatum cognitionem, quae operationum principia sunt. Etenim nobis notus est, quid sit sentire, aut intelligere; qualem sensus, aut intellectus.

Prioresque facultatibus actus sunt & operationes secundum rationem, hoc est nobis notiores & euidentiores, ut interpretantur Themistius, Philoponus, & Auerroes, & in primo libro de Anima capite octavo Alexander. Aut potius priores dicuntur secundum rationem, hoc est definitionem, ut ait idem Alexander. Priora enim definitione continentur illa, quibus definiuntur alia, nec tamen ad sui definitionem illa adsciscunt. Sicut facultas per operationem definitur, non item per facultatem operatio. Rursus facultates quidem operationibus priores generatione sunt: quoniam quilibet causa effectui suo prior est; praeterea efficiens causa, qualis est facultas computatione earum operationum, quae ab illa proceduntur.

Operatio